



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

[Præfatio.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Lib. III. Distinctio. I.
Resolutissimi Patris, &
VERITATVM THEOLOGICARVM
 solidi sectoris Magistri Durandi de sancto
 Portiano, Liber tertius sen-
 tentiarum.

PRÆFATIO.



EST Deus in celo reuelans myste-
 ria, Dan. 2. Hęc verba assumpta fue-
 runt à principio, & vt dictum fuit
 tunc, sacra scriptura excellit aliàs
 in certitudine, quod notatur ibi
 reuelans. Quęcunq; enim in sacra
 scriptura traduntur, aut solū, aut
 principaliter, diuina auctoritate re-
 nentur. talia autē sunt certissima,
 vt alias declaratum iuit. In eodem etiā verbo dēgitur ma-
 teria tertii libri Sententiarum. Postquā enim Deus mul-
 tiplicariē multisq; modis olim loquens patribus reuelauit
 eis secreta sua, Et per eos nobis (Quia nō facit dominus
 verbum nisi reuelauerit secretū suum ad seruos suos Pro-
 phetas, Amos. 3.) nouissimē locutus est nobis in filio suo
 incarnato, per quem excellentiora sacramēta deitatis nobis
 manifestauit, nec mirum, quia nemo nouit patrē, nisi
 filius: & cui uoluerit filius reuelare, Mat. 11. De filio autē
 incarnato, & de his quę assumpta carne gesit, & sustinuit
 pro nobis, necnon de donis, & virtutibus ipsum, quo ad
 humanitatem perficientibus agit in tertio libro. Dece-
 bat autem, vt per filium incarnatum reuelarentur nobis
 diuina secreta, & nostrę fidei sacramenta propter tria. Pri-
 mō vt caperentur familiarius ex reuelantis conformitate
 humili. Secundō, vt tenerentur certius ex reuelantis ve-
 ritate stabili. Tertiō, vt implerentur efficacius quo ad
 agenda ex reuelantis exemplaritate uili.

1 QVANTVM ad primum sciendum est quōd au-
 ditiones contingunt secundum consuetudinem. Nam vt
 vt consueuimus ita dignamur dici (vt habetur. 2. Meta.)
 Et quia consuetū est homines doceri ab hominibus pro-
 priissimis doctor, & reuelator fuit Dei filius, factus ho-
 mo, & quia factus homo factus est paruulus, secūdiū illud
 Esa. 9. Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis,
 & ideo factus est doctor paruulorum, vt adimpleretur il-
 lud Esa. 33. ubi est doctor paruulorum? cui potest respon-
 deri q; filius Dei qui factus est homo factus est paruulus.
 vnde potest dici illud Mat. 11. Abscondisti hæc à sapientibus
 & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et meritō, fi-
 lius enim honorat patrem. (Malac. 1.) Et quia opera Dei
 reuelare & cōfiteri honorificum est (Tobias. 12.) ideo dei
 cui filium esse reuelationem paternorum secretorum.

2 QVANTVM ad secundum notandum est quōd
 licet Pater sit veritas, & Filius veritas, & Spiritus sanctus
 veritas, & simul omnes tres vna veritas, tamen filius per
 appropriationem dicitur veritas, non solum ea ratione
 qua est secūda in trinitate persona, qua ratione dicitur
 sapientia, & verbum, sed ratione humanitatis assumptę,
 quatenus veritas à tota trinitate de redemptione humani
 generis promissa in sola persona filii, & per solam perso-
 nam filii meritorie est impleta. Sic enim gratia & veritas
 per Iesum Christum facta. (Ioan. 1.) propter quod decuit,
 vt veritas fidei quę rationem naturalem excedit ad hoc
 vt firmius teneretur, reuelaretur nobis per illum, qui cum
 Patre & Spiritu sancto est vna veritas promittens, & in
 seipso est vna veritas promissa persoluens. Et ideo dicit
 Simeon in suo cantico Luc. 2. loquens ad Deum patrem
 de filio, Parasti ante faciem omnium paruulorum, lumen
 ad reuelationem gentium.

3 QVANTVM ad tertium notandum quōd sicut
 dicit Sen. longum iter est per verbum, breue autē & effi-
 cax per exemplū, ex facto enim factū concluditur per lo-
 cum à simili, Luc. 10. quis tibi videretur proximus fuisse ei
 qui incidit in latrones? & ille dicit, qui fecit misericor-
 diam in illū, tunc ex illo facto conclusit, vade & tu facisti
 militer. Sed ex dicto non concluditur factū. Multi enim
 dicunt & non faciunt, Mar. 23; & ideo ad hoc, vt illa quę
 sunt agenda pro salute nostra efficacius implerentur, pro-

Quęstio I.

210

fuit valde vt reuelarentur ab illo qui cepit facere, & do-
 cere, Act. 1. Et faciendum nobis ex facto suo concludit dices
 Apostolis Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmo-
 dum ego feci, ita & vos faciatis. Ideo dicit Apost. Ephe. 3.
 Quod aliis generationibus non est agnitiū filiis hominū,
 sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis Concludēdo
 ergo cum Apostolo dicamus illud Ephe. 1. Deus pater do-
 mini nostri Iesu Christi pater glorię det vobis spiritum
 sapientię & reuelationis in agnitionem eius. Nunc quis
 dem per fidem, vt tandem in reuelatione glorię eius gau-
 deatis, 1. Pet. 4. Quod vobis concedat, &c.

Sententia literę Magistri sententiarum in generali
 & speciali valde ingeniosa & vtilis, Et
 primō primā distinctionis.

CVM autem venit plenitudo temporis, &c. In hoc ter-
 tio libro determinat magister primō de mysterio in-
 carnationis & passionis Christi. Tertiō de virtutibus &
 donis quibus Christus plenus fuit, & fideles animas im-
 pleuit. Et secūdum hoc liber iste diuiditur in duas partes.
 Primō determinat multipliciter de incarnatione. Secū-
 dō, de virtutibus & donis nobis per Christū collatis vsq;
 ad. 23. dist. ibi. Cum verō supra habitū sit. Prima diuiditur
 in duas. Primō determinat de diuina incarnatione. Secū-
 dō prosequitur conditiones ipsius verbi incarnati vsque
 ad. 6. dist. ibi. Ex præmissis emergit quęstio. Prima diui-
 ditur in tres. Primō determinat de diuina incarnatione
 ex parte assumēntis, quid sit. Secundō ex parte assumpti,
 quid sit. Secūda ibi, dist. 2. Et quia in homine tota natura.
 Tertiō ex parte virtusq;, cuius sit dist. 3. ibi, præterea queri
 oportet. Prima est principalis lēctionis, & diuiditur in
 quatuor partes. Primō enim auctoritate Apostoli ostendit
 quid sit incarnatio, & quōd persona incarnata sit filius
 Dei. Secundō ratione inquiri, quare filius potius fuerit
 incarnatus ibi, diligenter verō notandum. Tertiō inquiri-
 rit, verum Pater, vel Spiritus sanctus potuerit incarnari.
 ibi, Si verō queritur vtrum pater. Quarrō mouet obie-
 ctionem & soluit ibi, Sed fortē aliquis diceret, Et hæc est
 sententia & diuisio lēctionis in generali.

1 IN speciali verō sic procedit, & primō probat auto-
 ritate quōd pater misit filiū in tēporis plenitudine, quod
 est tempus gratię, quod quidē tempus habuit initium ab
 aduentu saluatoris per quē facta est veritas & gratia, quia
 per incarnationem impletur legis promissum, quod per
 Christi aduentum impletū est, quod diu antiquis patribus
 fuit promissum. Sic ergo filius Dei est missus, missio enim
 visibilis est eius incarnatio. Præterea ponit tres rationes
 ad probandū quōd persona filii fuit incarnata, quarū pri-
 ma sumitur ex appropriato filii quōd sapientia est, con-
 gruū enim fuit q; qui in sapientia omnia cōdiderat, per
 sapientiam omnia restauraret. Et hoc cōfirmat per para-
 bolam Euangelii, de muliere quærente dragmā perditā.
 Secūda ratio sumitur ex ipsius origine, quia est ab alio,
 vnde primō missus est filius qui est à solo patre. Secūdo
 Spiritus sanctus qui est ab vtroq;. Tertia sumitur ex pro-
 prio ipsius filii, quia filius est imago patris: congruū enim
 erat, q; qui erat filius Dei in diuinitate fieret idē in huma-
 nitate filius hominis, quod confirmatur per Aug. ex quo
 concludit quōd vnus est Dei filius & hominis, qui est ve-
 rus Deus & homo, ideo neq; confitemur duos filios, sed
 vnum manere in duabus substantiis, ita q; vna per alterā
 non destruat, nec vna in alterā transeat vt nō sint, sicut
 illa quę miscentur adinuicē, sed sint sicut vnita. Deinde
 inquiri, vtrum pater vel Spiritus sanctus carnē quam po-
 tuerant tunc assumere, nunc possent assumere. Et respōdet
 quōd sic, quia eadē est personarū potentia. Vltimō obiicit
 contra prædicta, si enim indiuisa sunt opera trinitatis, qua
 ergo ratione filius carnē assumpsit eadē ratione Pater &
 Spiritus sanctus. Alioquin aliquid faceret filius quod nō
 faceret pater, vel Spiritus sanctus, quod fallum est. Et re-
 ponder ad hoc quōd indiuisa sunt opera trinitatis, sed sic
 filius assumpsit, quia ad ipsam est assumptio terminata, nō
 hōminis tamen tale mysteriū est, quod tota trinitas ope-
 rata est. Sicut enim est vna indiuisibilis personarū trium
 substantia, sic & operatio vna, & pro tanto nos non dicā-
 mus sanctam trinitatē ex virgine natā, sed filium tantū.